

**Quae fuerit apud Graecos servorum conditio  
temporibus Homeri.**

---

Scrispsit

**Dr. G. Schmidt.**

Quae facit quod Gracos servorum conditio



temporibus Romanis

Dr. G. Schmidt



## Quae fuerit apud Graecos servorum conditio temporibus Homeri.

Servitutis varia genera apud omnes gentes obtinere videmus, quae vel nullo civitatis vinculo, quod hominem homini conciliat, obstrictae omni humanitatis sensu carent, vel in civitatis formam redactae illae quidem de conjunctione et societate humana prava ac perversa sentiunt. Etenim natura quidem duce dissipati antea homines congregati et in societatem convocati sunt, quo facilius ea, quae ad victum cultumque pertinent, alter alteri praeberent; sed eo ipso factum est, ut is qui opibus praevaleret, quae vi sibi arrogasset, ea jure obtineret: paterfamilias igitur et mulierem et liberos et famulos in potestatem suam recepit. Retinebant hunc patriarcharum quem dicunt morem maxima pars Asiaticorum populorum, qui a familiae angustis finibus initio profectus ad omnes civitatis partes permanavit. Sed varie immutatus est ab iis, qui ad occasum versus habitant, a Graecis et Romanis: apud quos alia facta est patrisfamilias potestas in mulierem, alia in liberos, alia in famulos. Quod discrimen diligentissime servandum ratus sejungit Aristoteles *τὴν δεσποτικὴν, τὴν γαμικὴν, τὴν τεκνοποιητικὴν* (Polit. 1, 2, 2 sq.)

Duae fuerunt servitutis causae, quum homines vel vi coacti vel utilitatis spe quadam commoti alios sibi imperare paterentur: quorum illi vel justo bello capti vel subito praedonum adventu oppressi libertate privabantur; hi vero suis viribus parum freti aliis sese subiciebant, quibus ducibus usi aut victum parare aut injurias illatas propulsare possent. His postea nova accesserunt genera vernarum et venalium. \*) Quum autem et id quo efficitur servitus ubique locum habeat et servitum primae cujusque populi aetati maxime aptam consentaneamque esse historia edoceamur; fieri non potest, ut Herodoto qui ante Homeri tempora servos in Graecia fuisse negat, assentiamur, sed id quod in Historiarum libro VI, 137 scriptum videmus (*οὐ γὰρ εἶναι τοῦτον τὸν χρόνον*, i. e. quum Pelasgi Athenis habitabant, *σφίσι καὶ οὐδὲ τοῖσι ἄλλοισι Ἑλλήσι οἰκέτας*) aut prorsus a vero remotum esse aut de publicis tantum servis dictum censeamus necesse est, etiam Homero ignotis.

Domini igitur arbitrium in mulierem quidem et liberos Graeci tempore justis coercebant finibus, non ita in servos. Retinebant semper servorum legibus non descriptam conditionem, quae naturae populi et moribus adeo non repugnabat, ut nec Plato nec Aristoteles, summi omnium aetatum philosophi, quid in ea a natura humana abhorreat, intellexerint. Plato enim, quamquam nullo libri, quem de republica inscripsit, loco plane ac diserte de servis, quibus perfectissima civitas carere non possit, loquitur, attamen quatuor illis ordinibus magistratuum, militum, agricolarum,

\*) Praeterrmittamus illum, qui unicus est, Germanorum morem, qui novissimo aleae jactu de libertate contendebant; Tac. Germ. 24: victus voluntariam servitum adit. — Neque, credo, insanientis illius medici Syracusani ac magis etiam insanientium aegrotorum, cujus rei notitiam ex Athenaei narratiuncula habemus (7 p. 289 B.) alia exempla vel fuerunt vel erunt: quippe qui, quos aegrotos valetudini restituisset, ut sibi servitum servirent coegerit. Unumquemque eorum, dei alicujus, ut Apollinis, Herculis, Aesculapii habitu assumpto, se ut dominum Jovem deambulantem prosequi jussit.



opificum quintum administratorum tacite addidit comitem; quos in disputatione dubito an recte praetermiserit, de civibus tantum praecepturus. Cujus rei vestigia nonnulla apparent. Eo enim suam rempublicam ceteras superaturam esse gloriatur, quod suo quisque in ea munere proprio functurus sit: puer, mulier; praetor, parens; servus, liber (resp. 4 p. 433 D.). Et servae sine dubio sunt, quae infantium communium nutrices publicas esse vult (ib. 5. p. 460 C.). Denique etiam praecipit, qui jure in servorum conditione retinendi sint: interdicit enim, ne Graeci Graecos, quos bello vicerint, consanguineos suos servitute premant, tanta barbarorum multitudine suppetente, quos subicere possint: *φημί γὰρ τὸ μὲν Ἑλληνικὸν γένος αὐτὸ αὐτῷ οἰκεῖον εἶναι καὶ ξυγγενές, τῷ δὲ βαρβαρικῷ ὀθνεῖόν τε καὶ ἀλλότριον* (ib. 5 pag. 470 C.). Magis expresse hac de re Aristoteles. \*) Exstiterunt ante eum, qui servitatem juribus unicuique homini a natura tributis repugnare contenderint (Pol. 1, 2, 3: *νόμῳ γὰρ τῶν μὲν δοῦλον εἶναι τὸν δὲ ἐλεύθερον, φύσει δὲ οὐδὲν διαφέρειν. διόπερ οὐδὲ δίκαιον. βίαιον γάρ.*) neque quemquam, si quidem illo genere opus sit, in servitatem redigi fas esse nisi bello captum (ib. 1, 2, 16: *ἔστι γὰρ τις καὶ κατὰ νόμον δοῦλος καὶ δουλεύων. ὁ γὰρ νόμος ὁμολογία τις ἐστίν, ἐν ᾧ τὰ κατὰ πόλεμον κρατούμενα τῶν κρατούντων εἶναι φασιν.*) Quam ratiocinationem ita refellit: natura omnibus rebus certum modum certumque ordinem datum esse; semper enim debiliora fortioribus quasi subjecta esse, deteriora melioribus, minora majoribus, quamobrem hominem bestii imperare, in homine ipso animum corpori: utramque autem partem et gubernantem et parentem ex eo imperio fructus quam maximos percipere (ib. 1, 2, 12.) Quae sequuntur ipsius verba apponam: *ὅσοι μὲν οὖν τοσοῦτον διεστᾶσιν, ὅσον ψυχῇ σώματος καὶ ἀνθρώπος θηρίου (διάκεινται δὲ τοῦτον τὸν τρόπον, ὅσων ἐστὶν ἔργον ἢ τοῦ σώματος χρήσις, καὶ τοῦτ' ἔστ' ἀπ' αὐτῶν βέλτιστον, i. e. quibus multo plus virium inest quam ingenii), οὗτοι μὲν εἰσι φύσει δοῦλοι, οἷς βέλτιόν ἐστιν ἄρχεσθαι ταύτην τὴν ἀρχήν, εἴπερ καὶ τοῖς εἰρημένοις (ea sunt, quae antea enumeravit). ἔστι γὰρ φύσει δοῦλος ὁ δυνάμενος ἄλλον εἶναι (διὸ καὶ ἄλλον ἐστίν), καὶ ὁ κοινῶν λόγον τοσοῦτον, ὅσον ἀσθάνεσθαι ἀλλὰ μὴ ἔχειν.* Fatetur quidem Aristoteles, haec si vera sint, difficillimum esse ad internoscendum, quis sit vere liber, quis vere servus: sed fugit eum omnino falsam esse definitionem, quum regi (*ἄρχεσθαι*) et servire (*δουλεύειν*) idem significare velit. Neque idem est status hominum ratione praedictorum atque bestiarum rationis expertium; neque servitus imperfecta quasi, qua carere hominum societas omnino non potest, quae ad tempus ex pacto et convento aditur, confundenda est cum perfecta illa et absoluta, quae perpetua dicitur, quum quis pro iis, quae ad vivendum homine necessaria sunt, cum corpore viribusque domini potestati se dedere coactus sit. Servus enim legum expertus est, totus in domini potestate, a quo ultimo etiam affici potest supplicio; est quasi res quaedam anima praedita (Arist. Pol. 1, 2, 7: *ὁ μὴ αὐτοῦ φύσει ἀλλ' ἄλλον, ἀνθρώπος δὲ, οὗτος φύσει δοῦλός ἐστιν. ἄλλον δ' ἐστὶν ἀνθρώπος, ὃς ἐν κτήμα ἦν, ἀνθρώπος ὄν*). Graeci igitur neque quae sint jura illa naturalia unicuique homini ita inhaerentia ut de iis decedere nullo modo possit, neque quae sit humanae naturae vera dignitas, unquam intellexerunt. Aequabilitas illa juris, quam ex humana ratione repetitam rem ad justitiam maxime necessariam esse nostra aetas perspexit, incognita iis fuit, qui, quod ad servos attinet, semper usu, universi quidem juris auctore et magistro, et obscuro quodam sensu ducebantur, quid rectum, quid pravum esset, leges non constituebant ex veri juris praecceptis. Quaerebant enim, quae sint jura civis, non quae hominis. Hanc autem quaestionem gravissimam ut praetermiserint Graeci, tribus ex causis factum videtur. Primum enim civium libertatem in eo ponentes, ut invicem singuli, non iisdem semper aliis imperantibus, aliis parentibus reipublicae praecessent, non id curabant, ut civitatis ipsius potestatem justis coercerent finibus. Respublica, sive a tyranno, sive ab optimatibus, sive a populo administrata, hominum et rerum domina habebatur. Populi ipsius imperium persaepe acerbissima et gravissima dominatio fuit; ditiorum enim opibus ut suis utebatur; quin etiam, si conduceret sibi, legem neglexit, ut lege superior.

\*) et Plato ipse in libro de legibus.

Notissimum est, rerum publicarum commutationibus factis quanta crudelitate a victoribus in adversarios saevitum sit, leges eversas esse, omnia divina humanaque jura permixta. Quum vel per vim vel per insidias pauci vel unus summa rerum potiti sunt, omni juris ratione sublata dominorum arbitrium pro lege erat: quam rem minime ab illorum temporum consuetudine abhorruisse inde apparet, quod cives, ne vel tyrannus vel optimates rerum potirentur, diligentissime quidem cavebant, potitos crudelissime saevire non mirabantur (cf. Tittmann. Gr. Staatsverf. p. 622 sq.). Itaque ne in cive quidem hominis, sed civis tantum jura respiciebant; quid mirum, si nemini Graecorum in mentem venerit de servi jure illo naturali cogitare. Adde huc, quod ab initio nullum unquam inter Graecas civitates commune jus gentium obtinuit; altera enim cum altera, nisi foedere icto vel pactione facta, sempiternum quasi bellum habebat. Quae res postea levata quidem, non sublata est (Plato de legg. 1 p. 625 C: πόλεμος αἰεὶ πᾶσι διὰ βίον ξινηχὴς ἐστὶ πρὸς ἀπάσας τὰς πόλεις). Neque amphictyonum foederibus, neque ludis solemnibus toti Graecorum nomini communibus, neque sacris oraculisque institutis singulae civitates ad unius quasi imperii formam redactae sunt. Etenim in legum cujusque civitatis praesidio ii tantum erant, qui ei adscripti erant, quin etiam et hostis et peregrinus eodem significabatur nomine ξένος. Quo factum est, ut bellis crudelissime gestis victi miserrima conditione essent, quippe qui et bonis et libertate privarentur (Xen. Cyrop. 7, 5, 73: νόμος γὰρ ἐν πᾶσιν ἀνθρώποις ἀδιδός ἐστίν, ὅταν πολεμοῦντων πόλις ἀλλή, τῶν ἀλόγων εἶναι καὶ τὰ σώματα τὰ ἐν τῇ πόλει καὶ τὰ χρήματα.) Ita neque hominum jus naturale neque jus gentium Graeci excoluerunt, quorum utrumque servitutem aspernatur. Denique quibus potissimum servis utebantur, barbari ex Thracia et Ponto in Graeciam advecti vehementer a Graecis contemnebantur, haud scio an cum caussa ab iis, qui tantopere illos et corporis et ingenii cultu superarent: unde orta est opinio, barbarum natura servum esse, neque interesse, utrum in patria regi, an in Graecia domino serviret. Cujus Graecorum in barbaros insolentiae exemplis referti sunt libri Herodotei (7, 21; 7, 56), neque minus aliorum auctorum scripta (Plat. Resp. 5 p. 470 C. Arist. Pol. 1, 1, 5: διό φασιν οἱ ποιητὰὶ Βαρβάρων δ' Ἑλλήνας ἄρχειν εἰκός· ὡς τὰντὸ φύσει βάρβαρον καὶ δοῦλον ὄν. vide ib. 3, 9, 3).

Sed jam missis his, quae ad inferiora tempora spectant, ad id quod propositum est nos convertamus.

Plurimi ab Homero commemorantur, qui in alterius opulentioris operis sunt, non vero servili conditione; de quibus singulis nonnulla praemonere necessarium duximus. Liberi enim homines sed egeni (χέρηες Od. 15, 324), in certum tempus (Il 21, 444) vel per omnem quae reliqua erat vitam (Od. 11, 489) alteri se locabant (θήτες et ξείνοι dicti), cujus agros colerent (Od. 18, 359: θητεύμεν, αἰμασιὰς τε λέγων καὶ δένδρεα μακρὰ φητεύων), pecora pascerent (Od. 14, 102: βόσκουσι ξείνοί τε καὶ αὐτοῦ βώτερες ἄνδρες. cf. Od. 10, 85), pro opera victum vestemque ab heris habentes (Od. 18, 360). Interdum eos sibi praeterea mercedem pactos esse, et ex fabula quae de Apolline et Neptuno apud Laomedontem ministerium facientibus traditur, cognoscere possumus (Il. 21, 452) et ex Hesiodi praecepto (opp. 368):

μισθὸς δ' ἀνδρὶ φίλῳ εἰρημένος ἄριστος ἔστω.

Suadet Hesiodus (opp. 600), ne homo conducatur, cui sui ipsius praeterea res familiaris curanda sit (θήτ' ἄοικον ποιῆσθαι), quum caelebs multo sit aptior ad rem alienam sua diligentia augendam. Substantivum θής apud Homerum quidem uno tantum loco occurrit, Od. 4, 644; Telemacho enim Pylum profecto Antinous interrogat τίνες αὐτῷ

κοῦροι ἔποντ'; Ἰθακῆς ἐξαιρέτοι, ἧ ἔοι αὐτοῦ  
θήτες τε δμῶές τε;

Quod autem Passovius (Lex. s. v.) et Göttling. ad Hes. opp. 604 τὸν θήτα glebae adscriptum esse contendunt, errasse videntur; nam ejus rei alia apud Homerum vestigia apparent nulla et contradicunt Grammatici et veteres et recentiores (Hesychius θής δοῦλος μισθωτός).



Et. M. 452, 8 θῆτες οἱ μισθῶ διὰ πέναν εργαζόμενοι, οἱ πένητες οἱ ἐπὶ ξυντάξεσσι τισι καὶ ἐπὶ μισθῶ δουλεύοντες. Lehrs. Quaest. epp. p. 205 θῆς non villicus est nec ἔριθος villica, sed sunt inferioris ordinis operae mercenariae.)

Simillima conditione sunt οἱ ἔριθοι ad unum fortasse opus conficiendum conducti, quod nisi per multos absolvi non potest.: ut ad operam messoriam (Il. 18, 550) vel ad lintea lavanda (id conijcere possumus ex Od. 6, 32, quo loco Minerva Dymantis filiae specie induta Nausicaam vestimenta ad litus insulae ferre jubet, ubi laventur: καὶ τοι ἐγὼ, inquit, συνέριθος ἄμ' ἔψομαι, ὄφρα τάχιστα ἐντύναι.) Pro opera cibum accipiebant (Il. 18, 560.) A Schoemanno (Gr. Alterth. 1, p. 44) falso in servis numerantur; rectius Schol. A. ad Il. l. c. ἔριθοι νῦν ἐργάται, γεωργοί, παρὰ τὴν ἔραν, τὴν γῆν. ἢ παρὰ τὸ ἐρίζειν ἐν τῷ ἔργῳ. ἔριθοι δὲ κυρίως οἱ ἐριουργοί, καταχρηστικῶς δὲ καὶ οἱ μισθοῦ εργαζόμενοι. Sed in voce ἐριουργός erravit et ipse Scholiastes. Mulier enim lana ac tela victum quaeritans ab Homero non ἔριθος, sed χειρῆτις appellatur (Il. 12, 433). De etymologia vocabuli ἔριθος quid recentiores Grammatici dixerint, attulit omnia Retzlaff in Prog. Gymn. Regiom. 1866 (Proben aus einer Homerischen Synonymik, p. 17).

Eadem operae merces dabatur opificibus (δημοεργοῖς), fabris tignariis, ferrareis, medicis, aliis: liberis hominibus, non servis (Od. 17, 386: οὔτοι γὰρ κλητοί: hi, si usus veniat, conducuntur et aluntur). Opificibus adnumerantur praecones, κήρυκες (Od. 19, 135), qui in contionibus et sacris publicis munere suo funguntur (Il. 2, 50. 437. 9, 10. Od. 2, 6. 8, 8. — Il. 23, 245. Od. 20, 276). Regibus quoque ad eandem res operam locant et epulantibus pocula ministrant (Il. 7, 183. 18, 558. 23, 39. Od. 1, 147 et saepius.) Quos homines liberos esse ex honorificis cognoscitur cognomentis, quibus ab Homero impertiuntur (dicuntur ἀγανοί Od. 8, 418; θεῖοι Il. 4, 192; Λιὸ φίλοι Il. 8, 517; Λιὸς ἄγγελοι ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν Il. 1, 334; 7, 274.) \*)

Amoris quasi et familiaritatis vinculo cum regibus οἱ θεράποντες conjuncti sunt, militiae socii comitesque (ἀπάονες enim vocantur et ἐταῖροι Il. 8, 263. 10, 58), domi administri. Non modo ingenui sunt, sed saepe nobili loco orti: Patroclus et Merioneus Achilles θεράποντες sunt (Il. 16, 244. 23, 113), Eteoneus θεράπων Menelai (κρείων. Od. 4, 22); omnes Graecorum duces θεράποντες Agamemnonis appellantur (Il. 19, 143). Iidem interdum sunt κήρυκες et θεράποντες (ut Talthybius et Eurybiades, Il. 1, 321. Od. 18, 424); saepius eorum munera se juncta videntur. Praeconum enim est pocula ministrare, famulorum mensas spongiis abstersas proponere carnisque instruere (Od. 1, 1, 109); iis igitur carptor, δαιτρός, adnumerandus est (Od. 1, 141 et saepe). Telemachus enim duodecim ex insula Ithaca procorum comites famulosque esse dicit (Od. 16, 253) et praeconem Metonem et vatem

καὶ δοῖω θεράποντε δαίμονε δαιτροσινάων.

Ad haec et similia ministeria semper juniores parati erant, etiam regum ipsorum filii (ut Nestoris Od. 3, 338, κοῦροι et νέοι dicti, v. 460), id quod Athen. 5 p. 192 B diserte exponit: καὶ δοῦλος οἰδεὶς ἦν ὁ διακονήσων, ἀλλ' οἱ νέοι τῶν ἐλευθέρων ὄνοχόουν, καὶ ἄλλα δὴ πάντα παρεσκευάζον τοῖς δειπνοῦσιν ἐλεύθεροι.

Commune omnibus qui ministeria faciunt nomen est δρηστήρ (Od. 16, 247. 18, 76. 20, 160. ἐποδρηστήρ Od. 15, 330), mulieribus δρηστειρα (Od. 19, 344); ministeria facere δρᾶν (Od. 15, 317), ἐποδρᾶν (15, 333), παραδρᾶν (15, 324), πονεῖσθαι (17, 258 τῷ παρὰ μὲν κρείων μοῖραν θέσαν οὐ πονέοντο. 20, 281). Munia autem omnia, quae subire libero licebat, Ulysses enumerat operam suam precis se locaturum esse simulans (15, 321):

δρηστοσύνη οὐκ ἂν μοι ἐρίσσειε βροτὸς ἄλλος,  
πῦρ τ' εὖ νῆσαι, διὰ τε ξύλα δανὰ κέασσαι,  
δαιτρεῦσαί τε καὶ δαπτῆσαι καὶ οἰνοχοῆσαι,  
οἷά τε τοῖς ἀγαθοῖσι παραδρῶσι χέρηες.

\*) Die iis omnia accurate exposuit Kostka: de praeconibus apud Homerum, Progr. Gymn. Lyck. 1844.

Similiter se habet οἰκέες. Sunt enim οἱ οἰκῆες vel servi (Od. 4, 245. 14, 4 etc.) vel omnes domestici (Il. 5, 413. 6, 366. Od. 17, 533), qui a domino pro opere aluntur (Od. 19, 27: οὐ γὰρ ἀεργὸν ἀνέξομαι, ὅς κεν ἐμῆς γε χοίνικος ἀπτηται). cf. Eustath, p. 1750, 61: οἰκέες οὐ μόνον δοῦλος ἀλλὰ καὶ ὁ κατ' οἶκον φίλιός.

Ab his igitur omnibus diversi sunt, qui toti in dominorum potestate sunt, servi servaeque, δμῶες et δμωαί, quos ut servirent dira necessitas coegit (ἐργάζεσθαι ἀνάγκη Od. 14, 272. δμῶες ἀναγκάϊοι 24, 209). Hoc enim semper fere vocabulo Homerus utitur, ἀνδράποδον semel quidem occurrit (Il. 7, 475) sed in versu jam veteribus criticis suspecto; δοῦλος nusquam, δούλη bis (Il. 3, 409. Od. 4, 12), saepius derivata: δούλιος (Il. 6, 463. Od. 14, 340. 17, 323), δούλειος (Od. 24, 252), δουλοσίνη (Od. 22, 423).\*) Hoc autem inter vocabula δμῶς et δοῦλος interesse Nitzschius cognovit (ad Od. 4, 10), quod illo quidem in universum homines servi significantur non habita ratione, utrum ortu an casu servi facti sint (usus eo Ulysses ex Laerte patre quaerit: τεῦ δμῶς εἰς ἀνδρῶν; Od. 24, 251. Quin etiam Proteus Od. 4, 386 Ποσειδάωνος ἐποδμῶς appellatur), sed vocabulum δοῦλος immutatam ex libertate servitutem comprehendit et ea, quae in servitute et dominatione contraria sunt. Quae res patet ex versu Il. 3, 409:

εἰσόκε σ' ἢ ἄλοχον ποιήσεται ἢ ὄγε δούλην,

et ex iis locis, ubi derivata inveniuntur, Il. 6, 463: ἀμύνειν δούλιον ἡμαρ, i. e. servitii sortem; et saepe. Idem igitur est, quod ἡμαρ ἀναγκάϊον Il. 16, 836; contrarium ἐλεύθερον ἡμαρ Il. 6, 455. 16, 831.

Servi publici illis temporibus, quae ab Homero depinguntur, non erant neque esse poterant propter laxum tum reipublicae vinculum; reges tantum et ditiores privatos servos possidebant, quos plerosque expeditionibus praedandi causa factis acquisiverant: ut Ulysses (Od. 1, 397) et Phaeacum rex Alcinoos (Od. 7, 8). Creberrimae erant ejusmodi rapinae neque duci ignominiam et dedecus inferebant.\*\*\*) Eo enim modo Ulysses greges suos a procis comminutos se suppleturum esse profitetur (Od. 23, 357). Idem ille, antequam Trojam profectus est, quum a Messeniis et pecora ejus et pastores rapti essent, par pari retulit (Od. 21, 18). Simile quid Nestor gloriatur (Il. 11, 671). Quaerebaturque ex advenis, utrum quaestum faciendi causa an praedandi mari fluctibusque sese commisissent (Od. 3, 71. 9, 252). Quos ceperant excursionibus, inter se socii dispertiebantur, duci ut omnium rerum sic captivorum praecipuum eligentes (Od. 7, 10. 9, 42). Neque assentiri possumus Schoemanno (Griech. Antiqu. p. 47), qui ab Homero ejusmodi rapinas improbari collegit ex versibus Od. 14, 262 et 17, 431 (οἱ δ' ὕβρει εἴξαντες ἐπισπόμενοι μὲν εἰ σφῶ πόρθεον): illis enim locis non de injuria, sed potius de expeditionis malo eventu Ulysses poeta facit conquerentem.

Saepe vero dirutis oppidis feminae tantum et liberi in servitutem rapiebantur (εἴθερον εἰσανάγονσιν Od. 8, 529), viri necabantur. De qua re Meleagrum uxor monet, ut eum ad pugnam excitet, Il. 9, 591:

λίσσει' ὀδυρομένη καὶ οἱ κατέλεξεν ἅπαντα  
 κηδέ', ὅσ' ἀνθρώποισι πέλει, τῶν ἄστυ ἀλόη  
 ἄνδρας μὲν κτείνουσι, πόλιν δέ τε πῶρ ἀμαθύνει,  
 τέκνα δέ τ' ἄλλοι ἄγονσι βαθυζώνους τε γυναικας.

cf. quae Priamus ad Hectorem verba facit Il. 22, 62. Ab Achille quidem Thebe in Cilicia expugnata et pater et fratres Andromachae interfecti sunt, mater vero capta et pretio dimissa (Il. 6, 415); ab eodem Briseidis cognati occisi, ipsa abducta (Il. 19, 291). Similiter Ulysses, quum Ilio patriam peteret, urbium quas ex itinere expugnaverat mares incolas trucidat, mulieres

\*) Fortuito tantum factum videtur, ut in Hesiodi carminibus neque primitivum neque derivata scripta videamus.

\*\*) Thucyd. 1, 5: οἱ Ἕλληνες τοπάλοι ἐτράποντο πρὸς ληστείαν καὶ ἡρπαζον, οὐκ ἔχοντός πο αἰσχύνῃ τούτου τοῦ ἔργου, φέροντος δέ τε καὶ δόξης μᾶλλον.



liberosque vi abstrahit (Od. 9, 39. 14, 263).\*) Quorum vitae, quum bello capti essent, parceretur (quorum exiguus erat numerus, quum victi, quamvis supplices, caederentur, II. 6, 46. 20, 378. 21, 73), ii aut pretio dimissi (quod ὄνος dicitur II. 21, 41. 23, 746; ἄποινα 1, 13. 2, 230. 6, 49; ζωάγρια 18, 407) aut mercatoribus venditi sunt. Unum Priami filium Lycaonem Achilles pecunia oblata in libertatem restituit; quos ceteros ceperat, in alienas terras vendidit. Queritur enim Priamus (II. 24, 751):

ἄλλους μὲν γὰρ παῖδας ἐμοὺς πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεὺς  
πέρασχ', ὄντιν' ἔλεσσε, πέριγ' ἄλως ἀτρογέτιοι  
ἐς Σάμον, ἐς τ' Ἴμβρον καὶ Ἀἴμνον ἀμυχθαλόεσσαν.

Omnes enim qui tum mercaturam faciebant, data occasione vel mercibus commutabant homines vel praedonum more abducebant. Sed quum astu potius quam vi usi mulieres praecipue ad se pellectas et infantes asportarent, nullo numero erant: quippe qui quaestum, non gloriam quaerent (πρηκτῆρες 8, 159. ἀνήρ τρώκτης Od. 14, 289. 15, 416). Accedit, quod barbarae tantum et semi-barbarae gentes commercia exercebant: Sinties, Lemni insulae incolae (Od. 8, 294 μετὰ Σίντιας ἀγριοφώνους), qui in castra Argivorum vinum navibus inferunt importatumque aere, ferro, pellibus, bobus, captivis commutant (II. 7, 472. quamquam versum 474: ἄλλοι δ' ἀνδραπόδεσσι spurium videri jam supra diximus); Taphii, de quibus Eumaeus Mesaulium emerat (Od. 14, 449), et qui Phoenissam Sidone natam corripuerant et servam fecerant (Od. 15, 427); denique Phoenices, qui Eumaeum parvulum a Phoenissa illa ipsius nutrice adductum patri patriaeque ereptum Laertae vendiderant (Od. 15, 403). A Phoenice quodam hospite Ulysses fabulam suam Eumaeo contexens insidias sibi structas esse narrat, qui ipsum trans mare pervectum sociisque omnibus privatum in servitutem vendere sibi proposuisset (Od. 14, 289). Ejus facinoris raro quidem, tamen nonnumquam mentio fit. Laomedon enim Apollini et Neptuno mercedem pactam flagitantibus minitatur se illos venditurum esse (II. 21, 453); idem Melanthius Eumaeo (Od. 17, 249); et e procis unus Telemachi hospitibus (Od. 20, 382). — Aliquem e patria ereptum auferre et vendere ejus rei proprium verbum est περάω (II. 21, 40. 102, 453. Od. 14, 297. 15, 387. 453) et πέριγμι (II. 22, 45. 24, 752); emere πριάσθαι (κτεάτεσσιν ἐοῖσιν Od. 1, 430. 14, 115) et κήσασθαι (Od. 14, 450) unde κτητή serva (Hesiod. opp. 404); pretium ὄνος (Od. 14, 297. 15, 387), unde ὀνητή (Od. 14, 202). (Verbo ipso ὀνεῖσθαι Homerus non utitur).

Pro viribus et usu servorum pretium varium fuisse per se intelligitur et varie ab Homero aestimantur non quidem servi, sed servae. Semel tantum pacti pro captivi alicujus capite pretii mentio fit, quod pro Lycaone ab Achille capto Euneus solvit: crater fuit argenteus (II. 23, 746), centum bobus aestimatus (ἐκατόμβοιον δέ τοι ἤλφον II. 21, 79). Qua ex re nihil effici potest. Sed serva quaedam opifex (πολλὰ δ' ἐπίστατο ἔργα) quatuor bobus aestimatur (τίον δέ ἐ τεσσαεράβοιον II. 23, 705). Atque Eurycleam aetate florentem (πρωθήβην ἔτ' ἐοῦσαν) Laertes viginti bobus emit (ἐικοσάβοια δ' ἔδωκεν Od. 1, 431). Tantum igitur pretium quum ne ditissimi quidem facile persolvere potuerint, multo majorem servorum numerum praedationibus comparatum esse veri est simile. — Interdum xenium servae dabantur (Od. 24, 278), aut certaminis praemium proponebantur (II. 23, 704). Praeterea filiae in matrimonium ductae servos nonnullos doti addebat pater, quales Penelopen duo sequuti erant et servus et serva, Dolius (Od. 4, 736) et Actoris (Od. 23, 228). Servarum quidem non exigua copia in regum aedibus alebatur (quinquagenas Ulysses, Od. 22, 421, et Alcinous, 7, 103, possidebant); multo minor servorum. Neque enim dubito, quin fallantur ii qui ratione ducti domesticorum utriusque sexus multitudinem parem fere fuisse censuerunt (Reitemeier. Gesch. u. Zust. der Slav. p. 28): nam et oppidis expugnatis virorum plerosque trucidatos esse, et ministeria, quibus postea servi functi sunt, tum liberos mercenarios vel dominos

\*) Ex hac re causa repetenda videtur, cur ab Homero δοῦλαι, non δοῦλοι commemorentur.



ipsos exercuisse jam supra monuimus. (Athen. 1 p. 18 B: ἐπετίθενον τὴν αὐτοδιακονίαν καὶ ἐκαλλωπίζοντο τῇ ἐν τούτοις εὐστροφίᾳ). Angustis admodum finibus munia servorum continebantur, quippe qui ne dominis peregrinantibus quidem comites essent. Neque enim duces, quum Trojam proficiscerentur, servum ullum sequutum esse Homerus narrat, neque famulos illos, quos qui Penelopen nuptiis ambibant secum adduxerant, servos fuisse est quod existinemus. Liberi ei fuerunt et *θεράποντες*, non *δμῶες* vocantur (Od. 18, 424). Quod si procis de Telemachi profectioe certioribus factis Antinous ex Noemone nuntio quaerit, quibus sociis navem compleverit Telemachus, utrum juvenes ex Ithacensibus selectos adhibuerit an mercenarios servosque (*Ἰθακῆς ἐξαιρέτοι ἢ εἰοὶ αὐτοῦ θῆτες τε δμῶές τε*. Od. 4, 643), ex ea re non debemus colligere in usu fuisse servos ad remum dari, sed id tantum patet, quantopere ab omnium aliorum auxilio Telemachum destitutum esse illi putaverint. Neque opifices servos possidebant, quorum postea ingens erat numerus, sed a demiurgis illis ex aere, quod in divitis cujusque thesauro repositum erat, ferramenta et alia ad vitam necessaria conficiebantur (Od. 3, 425. 435. Ulysses in aula fornacem ferro molliendo habebat, *χαλκῆϊον δόμον*. Od. 15, 528). Multa praeterea opificum opera ipsi reges conficiebant. Ulysses enim cubiculum affabre factum (Od. 23, 189), Paris, sed fabris accitis, aedes suas (Il. 6, 314), Lycaon currus construxerant (Il. 21, 37). Neque alia ministeria eademque ex nostratium opinione humilia praebere eos puduit. Andromache ipsa Hectoris equis pabulum projicit (Il. 8, 186); Priami filii currus singulas partes componunt mulosque plaustro jungunt (Il. 24, 265); quae apud Phaeaces quidem servorum res est (Od. 6, 69. Sed disjungunt mulos Nausicaae fratres: 7, 6). Jam cibos et pocula liberos ministrasse alio loco exposuimus. Quo munere semel tantum servi, Eumaeus et Philoetius et Melanthius, funguntur rure in oppidum profecti (Od. 20, 253 sq.). Urbanis igitur servis, si qui erant, humillima tantum opera relinquebantur, ut aquam peterent, et similia. Mentio enim fit aquarii, *λοετροχόου* (Od. 20, 297).

Sed rusticorum latius patebat usus. Ruri enim in singulis tuguriis habitantes (*σταθμοί* Od. 16, 318) vel hortos colebant et agros (Od. 4, 737. 16, 140. 17, 299) vel greges armentorum reliquique pecoris custodiebant. Ulysses quidem greges diligentissime sejunctos servis, quos fidelissimos sibi ducebat, commiserat, aliis additis servis adiutoribus: et Eumaeo subulco (*ἀνέρες ἐφορβοί* Od. 14, 410), et Melanthio caprario (*δύο δ' ἄμ' ἔποντο νομῆες* Od. 17, 214. 20, 175) et Philoetio bubulco, qui in finibus Cephallenum armenta pascebat (20, 210). Neque ei propter pecorum copiam servi sufficebant, sed conducticii erant praeterea pastores (14, 102). Diligentis autem erat agros suos saepe obire et res rusticas invisere (Od. 16, 27. 140).

Contra servae non in agris, sed in oppido tantum in aedificiis aulam cingentibus (id expressis verbis non de ancillis quidem, sed de Laertis mancipiis dicitur: Od. 24, 208: *οἶκος — περὶ δὲ κλισίον θές πάντη, ἐν τῷ σιτέσκοντο καὶ ἕζανον ἰδὲ ἕανον δμῶες*. sed ibi ancillarum quoque dormitoria fuisse necesse est) pascebantur, multae et variis negotiis occupatae. E quibus miserima sane conditione erant quae molas trusatiles versabant (Od. 7, 103. 20, 105): quibus in diem certum pensum imperatum esse videtur, quod ni absolvissent, etiam ad multam noctem in opere esse debebant (20, 109). In Ulyssis domo pistrices duodecim erant (ib.) Aliae, in his *γραῦς καμινώ*, serva fornacaria (Od. 18, 27), domestica opera faciebant. Prima enim luce et aedes everrebant et vasa et suppellectilem eluebant et detergebant, et aquam afferebant (Od. 20, 149). Servae aquam, qua ad lavandum opus erat, parabant (Il. 22, 442. Od. 7, 8) et inter lavandum suppeditabant (Od. 4, 49. 8, 454. 17, 88. 19, 308. Il. 14, 7). (Sed interdum etiam mulieres virginesque ingenuae hospites lavant, ut Ulyssem clam Trojam ingressum Helena, Od. 4, 252, et Telemachum Nestoris filia Polycaste, Od. 3, 464.). Nonnulla iis inter coenam officia erant cum praeconibus communia, ut aquam manibus infunderent (Od. 4, 52 cf. 1, 146) et cibos apponerent (Od. 1, 136; 147; 5, 199). Lectos sternebant et hero et hospitibus, et illis quidem electa, ut videtur, ad id munus cubicularia, *θαλαμηπόλος*: Penelopae Eurynome (Od. 23, 289), Alcinoo

Eurymedusa (Od. 7, 8). Sed ab ancillis inter procorum conventum versantibus lucernas accendi improbat Ulysses impeditque quominus id fiat (Od. 18, 311).

Maximam autem utilitatem servae praebebant eo, quod omnia, quae ad vestitum pertinebant, conficiebant, quum illis temporibus non ab institoribus emerentur sed in cujusque domo perficerentur, quibus et dominis et familiae opus esset. Servae igitur lanam carminabant et pectebant (*είροκόμοι*. Il. 3, 386. Od. 18, 316. 22, 423) atque una cum hera nebant et texebant (Il. 6, 324. Od. 7, 105. 22, 422). Iis quum prima laus esset, si multarum essent artium peritae (Il. 23, 705. Od. 24, 277), maximo pretio fuerunt Phoenissae (Od. 15, 429: *ὁ δ' ἄξιον ὄνον ἔδωκεν*). Aliae servae elegantiores quodammodo et circa heram plerumque versantes eique praecipue dilectae *ἀμφίπολοι* vocantur. \*) Segregat poeta *δμῶας* et *ἀμφίπολους*; Od. 22, 483:

*σὺ δὲ Πηλεόπειαν  
ἐλθεῖν ἐνθάδ' ἄνωχθι σὺν ἀμφίπολοισι γυναῖξιν,  
πάσας δ' ὄτρυνον δμῶας κατὰ δῶμα νέεσθαι.*

et Il. 6, 324:  
*Ἄργεῖη δ' Ἑλένη μετ' ἄρα δμῶῃσι γυναῖξιν  
ἦστο καὶ ἀμφίπολοισι περίκλυτα ἔργα κέλευεν.*

Comitantur heram in andronitidem euntem vel in publicum progredientem (binae Helenam Il. 3, 143; Andromachen Il. 22, 450; Penelopen Od. 1, 331; 18, 181), et in eodem cubiculo propter Nausicaam duae *ἀμφίπολοι* somnum capiunt (Od. 6, 18). Comparandae igitur quodammodo cum *θεράπουσιν* illis sunt; sed hoc interest, quod *θεράπων* semper ingenuus, *ἀμφίπολος* semper serva est. \*\*) Restat ut de nutricibus infantium herilium dicamus. Infantibus enim partim ipsae matres mammam praebuerunt, ut Hectori Hecuba (Il. 22, 80), Telemacho Penelope (Od. 11, 447), partim ancillae, *τροφοί*, *τιθήναι*, ut Ulysses Euryclea aluerat (Od. 19, 482). Nutricibus praesertim aetate provectis, ut fidei vincolo cum heris conjunctissimis, et rei familiaris curam et reliquarum servarum imperium crediderunt (*ταμίη* Od. 2, 345. *σκοπὸς δμῶων* 22, 395). Neque cellae penariae modo custodiam, sed etiam arcana domus interdum eas tenuisse eadem Ulyssis nutrix Euryclea exemplum est (Od. 23, 227). — Haud scio an memoratu dignum sit, ut Telemachus adolescentulus ancillis imperaret, Penelopen non concessisse, Od. 22, 426:

*Τηλέμαχος δὲ νέον μὲν ἀέξετο, οὐδέ ἐ μήτηρ  
σημαίνειν εἶασεν ἐπὶ δμῶῃσι γυναῖξιν,*

quamvis agros peragrans servorum opera saepius inviseret (Od. 11, 185. 16, 27).

Victu cultuque procul dubio eodem fere usu sunt servi ac liberi egeni, utrumque heris praebentibus (Od. 15, 368). Neque propter alimentorum vilitatem difficile erat familiam alere, cui, ut sibi ipsis, panem carnesque et vinum exhibuerunt (Od. 16, 51 sq.). Vestitus quidem tenuior fuit; neque enim multas nec splendoras vestes habuerunt (Od. 14, 514). Ulysses quum sub mendici senis specie Trojam iret, vili linteo amictus, servo similis visus est, Od. 4, 244:

*σπεῖρα κάκ' ἀμφ' ὠμοῖσι βαλὼν οἰκῆν εἰκώς.*

Liberorum quidem hominum erat arma gestare, quae ne in pace quidem ponebant (Od. 2, 3; 4, 306; 22, 74. Etiam mendico simulato praeter vestitum gladium se daturum esse pollicetur Telemachus, Od. 16, 80, itemque Penelope, 21, 341); sed servis quoque gregum pastoribus, quibus frequentes illo tempore rapinas arcerent, arma concessa esse non

\*) E M 23, 34 *ἀμφίπολος ἢ περὶ τὴν δέσποιναν ποιοῦσα ὅπερ ἐστὶν ἀναστρεφόμενη*. Ab Homero numquam famuli, semper famulae (interdum vocabulis *γυνή*, *ταμίη*, *γοργῆς* appositis) *ἀμφίπολοι* dicuntur; solus Pindarus id verbum masculino genere ponit (Ol. 6, 53). Errat igitur Eustath. p. 1750, 62: *τὸ ἀμφίπολος κοινὸν φασιν ἄρρενος δούλον καὶ θηλείας ὄνομα*, rectius idem p. 1624, 23: *ἀμφίπολοι μὲν αἱ θήλειαι, δμῶες δὲ οἱ ἄρρενες*.

\*\*) Quamvis frequenter subst. *θεράπων* in Homeri carminibus occurrat, verbum *θεραπέω* semel tantum scriptum invenimus (Od. 13, 265. *θεραπέυεσθαι* in hymn. Hom. Ap. 390); subst. fem. *θεράπεινα* numquam, et corruptum *θεράπεινη* in hymn. Hom. Ap. 157.



est quod miremur (Od. 14, 525). Nonnullis sane vitae commodis carebant. Non vestibus stragulis lectos sibi sternerant, sed juncis pellibusque (Od. 16, 47), aestate quidem in foliis coacervatis cubantes, hieme vero in cinere et pulvere ad focum (Od. 11, 190; 14, 519; 20, 139).

Peculium sibi comparare servo fidei licuisse videtur domini fortasse munusculis conditis et repositis. Desiderat enim dona illa Eumaeus, quae peregrinante Ulysse Penelope a procis quasi obsessa servis dispertire neglexerit (Od. 15, 378); et Eumaeus ille ipse suo peculio (*κτεάτεσσιν εἰοῖσιν*), servum sibi vicarium (*νόσφιν δεσποίνης καὶ Λαέρταο γέροντος*) a Taphiis emerat (14, 450). Contubernii autem servorum paucissima tantum vestigia apparent, quod servis modo iis, quorum in se fidem voluntatemque herus perspectam haberet, simul cum libertate praemium concessisse videtur (Od. 14, 63. 21, 214). Unius Dolii ex serva Sicula progenies commemoratur, et filii (Od. 24, 388), in his Melanthius caprarius (17, 212), et filia Melanthe (18, 322): sed Dolius est Penelopae servus dotalis et ob eam causam fortasse majore indulgentia habetur coliturque. Vernae autem ab hera simul cum liberis educati sunt eadem cura adhibita: sic Melanthe (18, 322), quae pro beneficiis meritam debitamque gratiam minime retulit; et Eumaeum iis adnumerare possumus, qui admodum puer a Phoenicibus in servitutem venditus una cum Ctimene nutritus est Laertis filia minima natu (15, 366). Saepius occurrit inter dominum et servam (*παλλακίδα*) concubinitus, quae conjunctio bello usitatissima (Graecorum enim Trojam obsidentium uno excepto Menelao unusquisque sibi servam amicam assumpserat), sed ne domi quidem, si uxor permisisset, opprobrio fuit. Priamus quinquaginta filios procreaverat, sed minorem partem ex conjugis (Il. 24, 495); Megetem, ab Antenore ex serva natum, Theano ut suum filium educaverat, (Il. 5, 70:

*πάντα δ' ἔτρεφε δῖα Θεανὸ*

*Ἴσα φίλοισι τέκνοι χαρίζομένη πόσει ψ;*

Megapenthes servae cujusdam et Menelai filius est (Od. 4, 12). Cujus rei alia profecto ratio fuit, si uxor neglecta vetuerat (exemplo est inter Amyntorem, Phoenicis patrem, et uxorem ob pellicem orta summa discordia, Il. 9, 450). Neque dedecori erat nothum esse, quamquam hereditas ad utrumque, et nothum filium et legitimum (*οἱ γνήσιοι ἐξ ἀλόχου* Od. 14, 202) aequaliter non veniebat (14, 210). At plurimi mariti pellicum societatem vitabant vel conjugis amore atque complexu contenti vel alienationem simultatemque veriti (ut Laertes, Od. 1, 432: *χόλον δ' ἀλέεινε γυναικός*).

Perfidi servi et qui domino dicto audientes non fuissent, carcere vinclisque castigati, etiam morte multati sunt (Od. 15, 442. 18, 338. 22, 470).\*) Manumissos esse interdum servos ab heris benignis probabiliter conjectamus, sed expressis verbis Homerus non tradit. Nam et Eumaeum, quum quibus et praesentibus et futuris bonis praematura Ulyssis morte privatus sit queratur, Od. 14, 62:

*ὅς κεν ἐμ' ἐνδνκέως ἐφίλει καὶ κτήσιν ὕπασσεν,*

*οἷά τε ᾗ οἰκῆν ἄναξ εὐθυμὸς ἔδωκεν,*

*οἰκόν τε κληρόν τε πολυμήστην τε γυναῖκα;*

et Ulyssem, quum Eumaeo et Philoetio tandem se aperiens, quis sit, praemia fidelitatis, quae procos ex optato ultus iis daturus sit, enumeret, 21, 213:

*εἴ γ' ὑπ' ἐμοίγε θεὸς δαμάσῃ μνηστῆρας ἀγανούς,*

*ἄξιμαι ἀμφοτέροις ἀλόχους, καὶ κτήματ' ὀπάσσω*

*οἰκία τ' ἐγγὺς ἐμεῖο τετυγμένα. καὶ μοι ἔπειτα*

*Τηλεμάχου ἐτάρω τε κασιγνήτω τε ἔσεσθον;*

domibus et uxoribus promissis simul libertatem indicare facile inducimur ut credamus.\*\*)

\*) Sed perperam ex Od. 22, 462 Wachsmuth. Hell. Alt. 3 p. 158 collegisse videtur, suspendio interim ut morte infami (opposita morti honestae, *καθαρῶ θανάτῳ*) proprium fuisse servorum supplicium. Orestis enim mater Epicaste eandem sibi mortis viam elegit (Od. 11, 278).

\*\*) Poetae qui post Homerum vixerunt servos illos fideles ab Ulysse servitute exceptos et in civium numerum adscitos narraverunt et gentium quarundam Ithacensium originem ad eos retulerunt; Plutarch. quaest. gr. 14.

In universum servorum conditionem haud immitem fuisse ubique ex Homeri carminibus apparet. Interdum etiam conviviis epulisque a domino delectabantur (Od. 15, 378. 23, 132; 147). Atque quanta familiaritate cum heris servi plerumque conjuncti sint, ex plurimis locis cognosci potest. Misericordia permotae servae modo bello captae Patrocli mortem cum fletu deplorant (Il. 18, 28), neque ancillis Andromachae lacrimae desunt, cum hera Hectoris casum dolentibus (Il. 6, 489. 24, 746). Quae res magis etiam ex Odyssea perspicitur. Quanta enim familiaritas est inter Eurycleam, Ulyssis nutricem, et totam Ulyssis domum; quae non modo ab hera et filio herili maxima cum comitate *μαῖα* compellatur, sed etiam Telemacho leniter objurgat minime irascenti (Od. 2, 363. 19, 22). Quantam laetitiam percipit ex eo, quod Telemachus salvus sospesque rediit; quanto luctu et maerore afflicta est ob Ulyssem peregrinantem, quo reduce lacrimas prae gaudio effundit, 19, 471:

*τὴν δ' ἄμα χάσμα καὶ ἄλγος ἔλε φρένα τῷ δέ οἱ ὄσσε  
δακρυόφι πλησθέν θάλαρῃ δέ οἱ ἔσχετο φωνή.*

Simile exemplum Eumaeus praebet, fidelis subulcus: et ille a Telemacho blande *ἄντα* appellatur (Od. 16, 31), et quam sit hero deditus, non verbis solum, sed etiam re satis demonstrat. Neque alio animo affectas se praestant Ulyssis ancillae pleraeque, neque Laertis servi Dolius senex Doliique filii, carissimum herum reducem conspicati (Od. 22, 498. 24, 396). Tanta igitur familiaritate dominis cum servis intercedente servitutis acerbissima sors necessario mitigata est.

Attamen semper servitus misera habebatur; libertas enim vitae lumen, viri decus atque honor, ingenii nutrix existimabatur, ut ex illius aetatis sententia libertate crepta virtus quoque eriperetur, Od. 17, 322:

*ἦμισιν γὰρ τ' ἀρετῆς ἀποαίνονται εὐφρόσιπα Ζεὺς  
ἀνέρος, εὐδ' ἂν μιν κατὰ δούλιον ἦμαρ ἔλθῃσιν.*

Servitus igitur malum erat, quo non solum corporis bona homini detraherentur, sed animi quoque virtutes attenuarentur et infringerentur. Ipse honoratus ille honestusque Eumaeus se servum esse queritur alteriusque arbitrio obnoxium, 17, 189: *χαλεπαὶ δέ τ' ἀνάκτων εἰσὶν δημοκταί;* et 14, 59: *ἡ γὰρ δμῶων δίκη ἐστὶν αἰεὶ δευδιότιον.* Nullam aliam rem tantopere Hector pertimescit, quantopere ne ipsius morte extincti et mulier et filiulus in servitutem abstraherentur, cujus omnem calamitatem diserte depingit (Il. 6, 456. cf. 24, 732). Servo enim domesticis tantum negotiis occupato quum nulla via pateret, quam ingressus bellica virtute laudem gloriamque quaereret, toti homini servitutis humilitas quasi insidere ejusque imago vultu corporisque habitu expressa cerni putabatur, ut facile cognosci posset, quis esset liber egenus, quis vere servus; Od. 24, 252 (Ulysses ad Laertem):

*οὐδέ τέ τοι δούλειον ἐπιπρέπει εἰσοράσθαι  
εἶδος καὶ μέγεθος βασιλῆι γὰρ ἀνδρὶ ἔοικας.*

